

lunæ & terræ globum, necessario redderetur angustius & consequenter motus cœli circa terram rapidior, terræque pariter & lunæ globum premens, necessario cogeret ipsos à se mutuo recedere; Et id eousque, donec terra Diametraliter medium locum obtineret inter lunam & infimam oram Vorticis circum terrestris. Hincque dicente Varenio *l. 1. Prop. 9.* concinnè ostenditur, quomodo non tantum ad locum affluxus fiat vel intumescencia, cum luna ad verticem illius vel Meridianum movetur, sed etiam cum luna infrà Horizontem ad Meridianum mediæ noctis movetur.

§. XIV.

Etiam si vero spatia ab utraq; parte terræ verticaliter extensa, inter sese ita ad æqualitatem redacta sint, cœteris tamen multo angustiora sunt. Unde non potest non fieri quin ætheris materia fluida ex alveo latiori in istas fauces illapsa, viarum angustiarum latera validè premat; Et secundum Canonem Cartesii (quod angustiam loci motus compenset celeritas,) quam maximè nitatur. Undè aërem & subjectam aquam premendo, cogunt aqua ob fluiditatem suam facile mobilem, loco cedere ad littora, inque objectos sinus flumina ac planiores tractus sese effundere. Haud aliter ac si quis globum vasi cuidam aqua repletum intruderet, tum videret medium aquæ fortissimè pressum, cœteras partes ad marginem quaquaversum propellere. Luna verò, dum à meridiano loci versus occasum magis magisque properat, adeoque ætheris pressio maria isti meridiano subjecta minus minusque urget: expressas violenter ad littora aquas propria gravitate suâ, versus media sensim relabi ac littora relinquere deprehendimus.

§. XV.

Qua ratione vero hæc Incrementa & Decrementa aquarum diurna, successive atque ordinatim fiant; illud partim antehac explicatum est in §. IV. & quod amplius deficit B. L. ad Cartesium *part. Princ. §. 50.* remissum volumus, qui hæc omnia fusè ac Schematismo adhibito demonstravit; Undè res melius quàm verbis declarari potest, ac satis evidens ratio dari omnium vicissitudinum tam in Horizonte, quam Meridiano & locis intermediis, quomodo nempe crescant & decrescant, aquarum in litoribus elevatioribus altitudines, aut in planioribus inundationes. Quod vero tam

B

mul-